

eo modo hominem gignere. Testatur hoc Augustinus lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 23. & addit, tanta experientia id comprobatum esse, vt adhuc velle negare impudentiæ videatur.

SECUNDVS error fuit B. Martyris Hippolyti, qui in oratione de consummatione mundi docet, Antichristum esse ipsum Diabolum, qui de falsa virgine falsam carnem assumet. Vt enim verbum Dei, quod est ipsa veritas, de vera virgine veram carnem assumpsit: Ita probabile existimauit Hippolytus, Diabolum qui est pater mendacii, simulaturum se carnem humanam ex virgine assumpsisse. Refellitur hæc sententia, tum quia 2. Thess. 2. vocatur Antichristus homo; tum etiam quia Patres ceteri communi consensu scribunt, Antichristum verum hominem futurum.

TERTIVS error est, Antichristum futurum quidem verum hominem, sed simul etiam Diabolum, per incarnationem Diaboli; quomodo Christus per incarnationem est Deus & homo. Referunt & refellunt hunc errorem Hieronymus in cap. 7. Daniel. Beda in cap. 13. Apocal. & Damascenus lib. 4. cap. 28.

Hanc sententiam Origenes possibilem esse credit, quippe qui tomo 2. in Ioan. asseruit, aliquot Angelos verè esse incarnatos, quem refellit Hieronymus in præfatione in Malachiam, & in caput primum Aggæi. Ac sine dubio erronea est, nec enim potest persona aliqua creata, ac proinde finita duas naturas perfectas sustentare; vt potest verbum Dei, quod infinitum est. Neque de hoc iam inter Theologos controuersia est. Nam etsi alij doceant id omnino implicare contradictionem; alij verò doceant, non implicare: tamen in eo omnes conueniunt, non posse id fieri viribus solius creaturæ, qualis Diabolus est.

QUARTVS error est, Neronem resurrecturum, & ipsum futurum Antichristum, vel certè illum adhuc viuere & seruari occultè in vigore iuuenilis ætatis, & suo tempore appariturum. Insinuat hunc errorem Sulpitius lib. 2. sacre historię: tamen in 2. libro Dialogi de virtutibus S. Martini scribit apertè, non ipsum Neronem fore Antichristum, sed cum Antichristo venturum, & ab Antichristo tandem perimendum. Sed, quia hæc omnia sine vlla ratione dicuntur, meritò hanc sententiam miram præsumptionem vocat B. Augustinus lib. 20. de ciuitat. Dei, cap. 19.

Præter hos errores sunt duæ sententiæ probabiles sanctorum Patrum de generatione Antichristi. PRIMA est, Antichristum de fornicaria muliere nasciturum, non ex legitimo Matrimonio. Docent hoc Damascenus lib. 4. cap. 28. & quidam alij; sed cum non possit ex Scripturis ostendi, est quidem probabile, non tamè certum.

SECUNDA sententia est, Antichristum nasci-

aturum de tribu Dan. Afferit hoc Irenæus li. 5. Hippolytus martyr in oratione de mundi consummatione. Ambrosius libro de benedictionibus Patriarcharum, cap. 7. Augustinus quæst. 22. in Iosue. Prosper de promissionibus, & prædictionibus Dei, parte 4. Theodoretus quæst. 109. in Genesim. Gregorius lib. 31. moralium, cap. 18. Beda, Rupertus, Arethas, Richardus, & Anselmus in Apocal. cap. 7. Probant ex illo Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, &c.* Item ex illo Hierem. 8. *Ex Dan audiuimus fremitum eorum eius, &c.* Deniq; ex eo quod Apoc. 7. vbi signatur ab Angelo duodecim millia ex omni tribu filiorum Israël, omittitur tribus Dan: quod videtur factum in odium Antichristi.

Hæc sententia est valde probabilis propter tantorum Patrum auctoritatem, non tamen omnino certa; tum, quia plerique eorum Patrum, non dicunt hoc se scire, sed probabile esse insinuant; tum, quia nulla earum Scripturarum conuincit. Nam in primis Gen. 49. videtur Iacob ad litteram loqui de Samstone, cum ait: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, & mordeat vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Samson enim fuit de tribu Dan, & fuit verè Philistæis tanquam coluber in via. Nam vbique eis occurbat, eosq; vexabat. Ita exponit Hieronymus in quæstionibus Hebraicis. Et videtur sanè Iacob benè precari filio suo, cum hæc dicit, & proinde non malum, sed bonum prædicere.

Quod si ad Antichristum allegoricè id accommodetur, non poterit argumentum duci nisi probabile, quale ex mysticis sensibus ducitur. Hieremias autem cap. 8. sine dubio non loquitur de Antichristo, neq; de tribu Dan; sed de Nabuchodonosor, qui venturus erat, ad Hierusalem euertendam, per eam regionem quæ dicebatur Dan; vt ibi Hieronymus rectè exponit. Cur autem Apocalypsis 7. omittatur Dan, non satis constat; præsertim cum etiam Ephraim sit omisus, cuius tribus vna est ex maximis.

Præter hæc duo probabilia, sunt alia duo certissima: Vnum, Antichristum præcipuè propter Iudæos venturum, & ab eis tanquam Melsiam recipiendum: Alterum, ex gente Iudæorum nasciturum, & circumcidendum, & Sabbathum obseruaturum, saltè ad tempus. Illud primum habetur, tum ex Euangelio Ioan. 5. vbi Dominus Iudæis dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepit me: Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Quem locum de Antichristo accipi debere, suprâ demonstrauimus in secundo capite; tum ex Apostolo 2. ad Thessalonicen. 2. *Eo quòd caritatem veritatis non receperunt, vt salui fiant, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, &c.* Hunc locum CALVINVS, & alij hæretici in commentariis horum verborum, de nobis exponunt; qui, quia non receperunt ipsorum Euangelium, ab Antichristo Romano seduci finimur. At in primis nullos proferunt testes: Nos